



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Comitvm Par Genere, Potentia, Opibvs, Heroicaq. Virtvte
inclytum B. Godefridus, Vuestphalus, S. Romaricus,
Austrasius**

Serarius, Nikolaus

Mogvntiæ

Cap. IX. Quod famem prædixerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37252

CAP. IX.

Quod famem prædixerit.

Sed & duo illius magnalia, quæ in *De S.*
 hoc gesta sunt loco, dignum non *Nort-*
 arbitror præterire silentio. Quodam *berto*
 tempore famem VVestphaliæ affu- *sta.*
 turam, & ipsos etiam fratres parum-
 per castigaturam in Spiritu prædixit,
 quæ iuxta viri Dei præscientiam, ad-
 eo grauis euenit, vt plerisque dira
 inediæ calamitas exstingueret. Acci-
 dit ergo die quadam fratribus ad re-
 fectionem ituris, cum hospitiis ac
 pauperibus erogarent quicquid sibi
 abstinendo subtraherent, vt panis
 deesset alimonia, ita vt etiam vnde
 fieret, inueniri non posset. Cumque
 vir Dei sæpius intimasset quod scri-
 ptum est: *Non affliget Dominus fame a-*
Prover.
nimam iusti, ecce subito per fideles *10.*
 suos Dominus tantam panis abun-
 dantiam transfudit, quod fratres &
 sufficienter refecti sunt, & aduenien-
 tibus

B tibus

tibus cum alacritate obtulerunt. Atque postmodum ex die illa nunquam fratribus defecerunt oportuna subsidia.

CAP. X.

Quòd febres verbo fugauit.

TEmpore item alio cum vir sanctus quèdam vellet ex fratribus pro causa Monasterij destinare, inueniens illum valida prostratum febre, iniunxit ei causam obedientie in virtute CHRISTI, solo verbo vsus imperij: *Vade*, inquit, & reuertere iamque amplius noli febricitare. Statim ergo frater recuperatis viribus perfecit quantocys, quod à patre sancto fuerat iussus. Ita viri Dei sermo & causam obtinuit, & morbum diutinum repente fugauit.

(:)